



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Cautio in Sacerdote, qui ministravit. Cap. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

Cautio in Sacerdote, qui ministravit.

Cap. XVI.

S V M M A R I V M.

- 1 Parochus } ob ministracionem sacramentorum, & aliorum mi-
Sacerdos } nisteriorum in pestis suspicione incidens, quid faciat;
à quibus absteineat; quæque caueat. 8. 9.
- 2 Parochus, } extra Parochiam, & à loco illis deputato egredi
Sacerdos } prohibentur. 9. & quando egredi possint. 7.
Clericus } 6.
Famulus. }
- 3 Egrediens, quo signo utatur: & quando uti desinet. 7. Et quando
iterum utatur. 9.
- 4 Baptismus, quo ritu, durante suspicione, ministrandus.
- 5 Deputatio Sacerdotis idonei ad sacramenta peste liberis ministranda.

Parochus, aliusve Sacerdos, cum vel peste tabescē-
ti extremam unctioē ministraverit, vel in eius
cubiculo confessionē propius audierit, aut aliud
denique egerit, unde apud populum in probabi-
lem pestis suspicione incidit, tunc aliorum
commercio consuetudineve per aliquot dies ab-
stineat, nè benè valentibus contagij periculum,
aut certè timorem iniiciat.

Dùm is, tãquàm suspectus, domi se continet, si fortè acciderit opus
esse alicui, itidem suspecto, aut infecto, qui Parochiæ suæ sit, aut aliene,
at curæ suæ committus, huic ministerium suum, operamve sacramentis
ministrandis præstabit.

Quo tempore ab aliorum commercio absteinet, in Parochiali tantū
Ecclesia, aliaue, quam præfectus regionarius, aut Vicarius foraneus cō-
stituerit, Missam celebrabit, & in eo præterea solum Altare, in quo ne-
mo alius Sacerdos eo tempore celebrabit.

Quod Altare si fieri potest, Cancellis muniatur, quibus populo in-
gressus præcludatur.

Quo ipso tempore ad Missæ celebrationem vestes sacras & mappas
Altaris adhibebit, quæ separatim loco distincto asseruabuntur; nec
alijs Sacerdotibus tunc vsui erunt.

De suggestu, aliquè eius generis loco, qui à populi frequentia aliquo
inter-

intervallo disiunctus sit, sermonem, concionemque habere poterit.

Confessionem in Ecclesia intus, & foris, at in sede confessionali audiet; quæ præter laminam perforatam, aliquid etiam intermedium, interiectumque habeat, opere chartaceo confectum. Extrâ etiam confessionalem sedem audiat licet; ita tamen ut confitens ab eo distet tribus, quattuorve cubitis.

Parochialem etiam viciniam, aliamque curæ suæ commissam, obeat licet, cum vel funus curare, vel alia Parochialia officia præstare necesse habeat.

Alia præterea loca adire poterit, cum peccata confessurus ad alium Parochum, confessariumque, qui propius absit, se conferat, opus est.

At sanè expediet eum confessarium ad eum potius in Parochiæ finibus accedere.

Cauebit autem, nè in chorum Ecclesiæ, ubi alij Sacerdotes sunt; neque aliò item, ubi frequens hominum conuentus est, proximè ad eos accedat.

2 Neque uerò idem Sacerdos extrâ Parochiæ fines, excepta causa, quæ commemorata est, sine Episcopi, aut præfecti regionarij, Vicarijve foranei facultate scripta discedet.

Neque porro facultas dabitur, nisi cum alijs suspectis sacramenta ministraturus est; aut bene ualentium etiam adhibita paulò ante demonstrata cautione, confessionem, Episcopi iussu, auditurus, aut ad Episcopum res, ad curam suam pertinentes relaturus, aut aliquid acturus, quod sua causa agi necesse est.

3 Quàm diu uerò ab aliorum consuetudine suspicionis causa abstinet, cum domo, aliqua causa, facultate uel egreditur; semper, præterquam cum sanctissimam Eucharistiam feret, ferulam albi coloris, quatuor cubitis longam, quod signum suspicionis erit, manu gestabit, ut omnes eius congressum proximumque accessum cauere possint.

4 Eo ipso tempore, dum suspectus est, baptismum infusionis, non immersionis ritu, ubi huius ritus consuetudo alijs temporibus est, ministrabit; statas uerò baptismi ceremonias ad id tempus differet, quo à suspicionem liber erit: aut alium Sacerdotem adhibebit, qui baptismum statis ceremonijs ministret.

5 Alterius etiam Sacerdotis ministerio utetur, ad sanctissimam Eucharistiam, extremamque unctionem, Parochialibus suis ministrandam pestis suspicionem non laborantibus.

Quamobrem Parocho, dum eo loco pestis est, ubi curam gerit, facultas detur, alium Sacerdotem substituendi, qui ab ordinis munere non sit suspensus, ut Parochialis curæ munera obeat. Ne tamen audiendis confessionibus alium Sacerdotem substituere possit, quem antea Episcopus

scopus non probarit; nisi huius substitutionis potestatem idē fecisset.
 6 Clericus, famulusuē Parochi suspecti, aliusuē, cuius opera uti uelit, quo tempore ille domi se continet, inde etiam nē ipsi quidem egrediantur ad præscriptum: si quando autem exire necesse habebunt, ferulam de more gestabunt.

7 Vbi septimus dies, aut aliud tēpus, ab Episcopo præscriptū prout uiderit expedire, præterijt, quo Parochus in pestis suspicionem ob ministerium incidit, neque aliqua parte se læsum sentit; nec uerò suspicatur se contagione infectum esse; liberè, ut antea, & sine ferula omnia loca adire, Parochialisque curæ munera obire poterit, nisi aliter Episcopus iusserit. Idem de Parochi Clerico, famulo, familiauē censendū erit: quæ ex Parochi, ob ministeriū, suspicione sese domi cōtinuit.

8 Parochus autem, & Sacerdotes in loco curationis publicæ constituti, caueant, nē propius accedant, congregiantur uē cum ijs, qui à pestis suspicione liberi sunt: ne uē alia ratione eis periculum, aut suspicionem contagionis afferant.

9 Quamobrem è loco, in quo collocati sunt, facultate ab Episcopo, præfectouē regionario, aut à Vicario foraneo in Diœcesi non impetrata, nē discedant. Nec uerò illi præfectus scilicet regionarius, & Vicarius foraneus, Episcopo incōsulto, dent nisi ob causam, quæ uel ad spirituale ministerium, uel ad publicam curationem spectet: ob quas causas sepe accidit, eos ad alia loca mitti oportere. Cū autē foras quauis causa facultate uē exeunt, ferulam albam, Parochis supra constitutam gestabunt.

Cautio in homine Ecclesiastico, ob aliam causam suspecto, aut peste etiam infecto, adhibenda.

Cap. XVII.

SUMMARIUM.

- 1 Cautio ab Ecclesiastico peste infecto, hæc adhibenda; ut domi ipse, & sua familia se contineat, neminemque intrā eam admittat.
- 2 Et quorum cura id ab ipsis exequendum. 9.
- 3 Parochi officium cum Ecclesiastico peste laborante, deque eodem cum Episcopo uel præfecto regionario, Vicariouē foraneo. 4. Et curatoribus publicæ valetudinis. 5.
- 6 Regionarij præfecti. Cura in procuranda purgatione domorum, & Vicariique foranei. Suppelletilis Ecclesiarum, & Ecclesiasticorū. Suppelletilis Ecclesiastica index, & locus. 3.

Medicè